

crypta S. Kiliani sub Basilica Novi Monasterii adhuc cernitur; et distincte in eo legitur:

PRAESVLIS HIC TEGITVR FAMOSI CESPITE CORPVS,
 TERRAM TERRA TEGIT, SPIRITVS ASTRA PETIT.
 MAGINGODVS - - - ANTESTIS SORTE SECVNDVS
 EXTITIT ATQVE PIO PROMPTVS IN OFFICIO.
 - - - - - BONIFACIVS ARCIS HONOREM
 PERDVXIT, SACRO CONSTITVITQVE GRADV.
 VIXIT IN HOC MVNDO CASTVS SINE CRIMINE VATES,
 MORTVVS IN XPO PRAEMIA CARPIT OVANS.

In tertio versu vocula secunda non amplius legi potest; sed sic sine dubio restituendus est sensus:

Magingodus enim Antistes sorte secundus.

Quintus versus forte sic conceptus fuit:

Hunc ad sublimis *Bonifacius arcis honorem etc.*

Sacro autem aliquem Episcopum loco constituere, idem esse ac eum Episcopum constituere sive consecrare, non negabit Cl. Schannatus. *Lullus* anno 753. a Bonifacio successor in cathedra Moguntina constitutus est: Metropolitanam tamen dignitatem et pallium diu demum post ab Hadriano Papa anno circiter 776. accepit; unde *Lullus* Megingaudum consecrare non potuit. Si tamen Egilwardo credimus, *Lullum*, cum S. Burchardus Episcopatu se abdicaret, jam *Episcopum* fuisse, necessario sequeretur, S. Burchardum anno 754. sese Episcopatu abdicasse, et S. Burchardi commendatione eundem recepisse B. Megingaudum a S. Bonifacio consecratum. Cum Michelstadium S. Burchardus se recipere, ibique Monasterium condere vellet, in itinere Homburgi obiit *IV. Nonas Februarii*. Abdicatio ergo ejus facta est sub initium anni 754. eamque mors ejus paulo post subsecuta. Hinc vero manifestum fit, eundem S. Burchardum, jam vivis exemptum, anno 755. mense Junio Pippini Diplomati signum suum addere nequaquam potuisse. Egilwardi calculum, vitam S. Burchardi usque ad annum 791. extendentis, non moror; is enim aperte erroneus est, et ex rebus gestis fatis refutatur.

Epocha
 Pippini ab
 unctiōne
 Stephani
 desinita
 nec a Pip-
 pino Rege
 ipso, nec
 ab Isono
 est adhi-
 bita.

V. Vacillat interea etiam Epocha Pippini ab unctiōne per Stephanum Papam deducta, cum in ne uno quidem alio Pippini Diplomate usurpata inveniatur. Nec ullus probatorum historicorum aut annalistarum annos hujus Regis ab unctiōne in Monasterio San-Dionysiano anno 754. facta numeravit. Scio, Baronium ad hunc annum num. VI. scribere; *Licet literis Zacharia Pontificis Pippinus in Regem ante proventus fuerit, et S. Bonifacii unctiōne initiatus, tamen non ab eo tempore, sed ab hoc anno [754.] coeptos esse numerari annos ipsius regni; ut docent, inquit, vetera monumenta Francorum.* Per *vetera monumenta Francorum* Baronium intelligere *librum I. Isonis de miraculis S. Othmari cap. 5.* ex eo concludimus, quod in margine citet *librum II. Rerum S. Othmari cap. 5.* *Walafriidus enim Strabo in Vita S. Othmari annorum Pippini Regis non meminit. Iso vero loco laudato ait: Pippinus pater Caroli Imperatoris, per auctoritatem Stephani Romani Pontificis, deposito ac detonso Rege Childerico, anno ab Incarnatione Domini DCCLIV. Indictione VII. ex Praefecto Palatii Rex constitutus, solis Francis coepit imperare.* Sed errat Iso, nec contra tot diplomata Pippini Regis ante annum 754. emissā, ei credi potest. Errat, cum Childericum usque ad annum 754. Regem appellatum fuisse insinuat. Et